

# **ORDINIS CISTERCIENSIS STRICTIORIS OBSERVANTIAE**

***Constitutiones Monialium***

(Ed: post CG 2022; CI 2023; DIVCSVA 2024)





DICASTERO  
PER GLI ISTITUTI DI VITA CONSACRATA  
E LE SOCIETÀ DI VITA APOSTOLICA

Prot. n. T 34-1/2023

## DECRETO

Il Dicastero per gli Istituti di Vita Consacrata e Società di Vita Apostolica, dopo aver attentamente esaminato la richiesta di approvazione delle modifiche alle *Constitutiones Monialium Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiae* e alle *Constitutiones Monachorum Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiae*, con questo decreto:

**APPROVA**  
**LE MODIFICHE ALLE COSTITUZIONI**

in accordo con il testo contenente le sole modifiche in lingua latina inviato il 15 gennaio 2024 e conservato in questi archivi.

Nonostante qualsiasi cosa contraria.  
Città del Vaticano, 03 aprile 2024.

*Carmen Ros*  
Sr. Carmen Ros Nortes, NSC  
Sottosegretario



*João Braz Card. de Aviz*  
Prefetto  
30



## Proœmium

1

Sancti abbates Robertus Molismensis, Albericus et Stephanus Harding benedictinæ traditioni peculiarem formam dedere, cum, anno salutis 1098, Novum Monasterium Cisterci, Matrem omnium nostrum, construxerunt, atque Ordinem Cisterciensem fundaverunt. Anno circiter 1125, idem Sanctus Stephanus monialium monasterium vulgo « Tart » appellatum instituit sicut propriam domus Cisterciensis filiam, curæ pastorali abbatis eiusdem domus creditam. Exordium Parvum et Carta Caritatis fundatorum vocationem exprimunt missionemque a Deo acceptam, quam Ecclesia sua auctoritate sanxit et sancit, pro illo necnon nostro tempore. Huius vero reformationis propositum Sancti Bernardi Clarævallensis aliorumque impulsu ita propagatum est, ut monasteria monachorum monialiumque conversationis Cisterciensium sequacium usque ultra Europæ occidentalis limites diffusa sint. Hac exordii ætate fratres conversi atque sorores conversæ in Ordine suscepti sunt. Vita laboribusque innumerabilium fratrum ac sororum valida spiritualis hæreditas exorta est, quæ expressam formam in scriptis et cantu, in architectura et arte, necnon in sollerti fundorum suorum administratione invenit.

2

Monachi et moniales Ordinis agnoscent multum se debere motui qui « Strictior Observantia », nuncupatus est. Hic enim, perturbatis tempestatibus, quædam Cisterciensis patrimonii specimina fortiter propugnavit, quæ per labores abbatis De Rancé atque incepta domni Augustini de Lestrange subsequentibus generationibus transmitti potuerunt. Anno autem 1892, tres ex Congregationibus quæ ex Valle Sancta exortæ erant, in unum convenientes, Ordinem sui iuris constituerunt, Ordinem scilicet Cisterciensium Reformatorum B. M. de Trappa, nunc autem Ordinem Cisterciensem Strictioris Observantiæ nuncupatum.

3

Desiderium sinceræ vitæ monasticæ multifarie per sæcula agens, monachos monialesque Ordinis ad strenue renovandam vitam suam adhuc animare pergit; qui, Concilii Vaticani Secundi principiis obtemperantes, operam dant ut ad profundiorem suarum radicum intelligentiam perveniant simulque Dei actioni dociles hodie se præbeant. Anno 1969, Capitulum Generale, Declaratione de Vita Cisterciensi atque Statuto Unitatis et Pluriformitatis, rursus Ordinem Regulæ Sancti Benedicti, tamquam Evangelii sibi traditæ interpretationi<sup>1</sup>, obstringi professum est, ad eamque in mutatis mundi condicionibus fideliter observandam rationes viasque præbuit. Hisce quidem documentis Capitulum Generale inter Regulæ sensum distinguit fundamentalesque observantias, quibus Cisterciensis conversatio constat, et singula illa quæ pro locorum adjunctis mutari possunt.

4

Hæc Constitutionum et Statutorum collectio tamquam illorum renovationis annorum experientiæ fructus extat. Optandum sane est ut efficax instrumentum evadat, cuius ope Ordo se ipsum in spiritu Concilii Vaticani Secundi perficere valeat, ac magis magisque parem se præbeat proprio suo muneri in Ecclesia et in mundo exsequendo.

---

<sup>1</sup> Cf. Perfectæ Caritatis 2, a ; Regula S. Benedicti, Prol. 21.

# **CONSTITUTIONES MONIALIUM O.C.S.O.**

## **Pars prima DE PATRIMONIO CISTERCIENSI**

### **C. 1 De traditione Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiae**

Ordo Cisterciensis Strictioris Observantiae ab illa monastica evangelicæ vitæ traditione originem dicit, quæ in Regula Monasteriorum Sancti Benedicti Nursiensis expressa invenitur. Fundatores Cisterci huic traditioni peculiarem formam dederunt, cuius quædam specimina monasteria Strictioris Observantiae strenue propugnabant. Tres Congregationes Strictioris Observantiae, anno 1892 in unum coalescentes, unum Ordinem constituerunt, qui nunc Ordo Cisterciensis Strictioris Observantiae vocatur.

### **C. 2 De Ordinis natura et fine**

Hic Ordo institutum est monasticum quod ad contemplationem integre ordinatur; moniales propterea, intra sæpta monasterii, sub Regula Sancti Benedicti se divino cultui dedicant, atque Divinæ Maiestati humile simul ac nobile servitium præstant in solitudine ac silentio, in assidua prece et alaci pænitentia, monasticam conversationem modo in his Constitutionibus definito ducentes.

### **C. 3 De Ordinis spiritu**

#### **1**

Conversatio Cisterciensis cœnobitica est. Moniales Cistercienses Deum quærunt et Christum sequuntur sub regula vel abbatissa in communitate stabili, quæ schola est fraternæ caritatis. Cum omnium sororum sit cor unum et anima una, omnia eis communia sunt. Altera alterius onera portantes legem adimplent Christi, eiusque passionibus participantes in regnum cœlorum se intraturas sperant.

#### **2**

Monasterium est dominici schola servitii in qua Christus in cordibus sororum formatur per liturgiam, per doctrinam abbatissæ et per fraternalm conversationem. Verbo Dei moniales edocentur in disciplina cordis et actionis, qua, Spiritui Sancto obsequendo, puritatem cordis et continuam Dei præsentis memoriam assequi valeant.

#### **3**

Moniales vestigia eorum premunt, qui sæculis præteritis ad spiritualem in eremo militiam agendam a Deo vocati sunt. Cum earum conversatio in cœlis sit, sæculi actibus se faciunt alienas. In solitudine et silentio versantes, ad illam intimam quietem suspirant, in qua sapientia dignatur. Semetipsas sibi abnegant ut sequantur Christum. Humilitate et obœdientia adversus superbiam et peccati rebellionem repugnant. In simplicitate et labore illam beatitudinem quærunt quæ pauperibus promittitur. Alaci hospitalitate, cum simul peregrinantibus pacem et spem quam Christus elargitur participant.

**4**

Monasterium figura est Ecclesiæ mysterii. Laudi gloriæ Patris nihil ibi præponitur et omni conatu efficitur ut integra communis vita supremæ Evangelii legi ita inserviat ut communitati nihil desit in ulla gratia. Moniales operam dant ut universali populo Dei consentiant omniumque Christianorum unitatis activam eius exspectationem participant. Sua enim monastica conversatione fideliter servata necnon propria arcana fructificatione apostolica, populo Dei totique humano generi inserviunt. Unaquæque Ordinis ecclesia et unaquæque monialis Beatæ Virgini Mariæ, quæ est Mater et Typus Ecclesiæ in ordine fidei, caritatis et perfectæ cum Christo unionis, dicatæ sunt.

**5**

Tota monasterii ordinatio eo spectat ut moniales intime Christo uniantur, quia in solo cuiusque erga Dominum Iesum amoris affectu peculiaria Cisterciensis vocationis dona efflorescere possunt. Sorores tunc tantum contentæ erunt in vita simplici, abscondita et laboriosa perseverantes, si Christo omnino nihil præponant, qui omnes pariter ad vitam æternam perducat.

**C. 4 De Ordinis indole****1**

Communitates Ordinis per orbem terrarum diffusæ, vinculo caritatis in unum congregantur. Qua sociatæ concordia, se invicem adiuvare valent ad commune patrimonium penitus intellegendum et efficacius exprimendum, atque in diversis difficultatibus mutuo se confortare atque sustentare.

**2**

Hæc autem communio iuridicam induit formam in Ordinis regimine iuxta Cartam Caritatis, quam harum Constitutionum normæ interpretantur. Abbates abbatissæque in Capitulo Generali communem gerunt sollicitudinem in rebus divinis et humanis pro omnibus Ordinis communitatibus. Quæ pastoralis cura, iuxta traditionem, per instituta filiationis, visitationis atque Capituli Generalis exercetur. Præterea alia organa dialogi, collaborationis mutuique exorta sunt servitii, per quæ et totius Ordinis foveatur communio et fundatorum proposita hodiernis condicionibus reapse adaptentur.

**3**

Cistercienses Strictioris Observantiæ secundum Cartam Caritatis una caritate, una Regula, similibusque moribus vivere debent. Cuiusque communitatis est, cum ceteris colloquendo, vias aperire ad Ordinis patrimonium vitaliter in propria sua cultura exprimendum, ratione habita de peculiaribus adjunctis, semper tamen servatis normis a Capitulo Generali statutis.

**Pars secunda**  
**DE DOMO DEI SEU DE MONASTERIO**

**C. 5 De communitate locali**

Voce divina congregatæ, sorores ecclesiam seu communitatem monasticam constituunt, quæ fundamentalis cellula est Ordinis.

**ST 5.A**

- a. Secundum traditionem, subsistit communitas ut abbatia sui iuris. Sic declaratur, si condicionibus in Statuto de Fondationibus edictis (n° 15) respondit, ita ut monastica conversatio iuxta Sancti Benedicti Regulam, Cisterciensem traditionem atque has Constitutiones plene vigere valeat;
- b. Si hæ condiciones non adimplentur, sed communitas condicionibus in Statuto de Fondationibus edictis (n° 15) respondit ut sit sui iuris, tunc consideratur ut prioratus sive maior sive simplex. Prioratus autem simplex ope domus fundatricis tum quoad personas tum quoad bona temporalia iure frui pergit.
- c. Fundatio pars est domus fundatricis et autonomia non gaudet. Eius superiorissa non est nisi superiorissa domus fundatricis. Condiciones ut fundatio ad statum domus sui iuris provehatur, et etiam ut prioratus simplex in prioratum maiorem vel prioratus maior in abbatiam evadere possit, a Statuto de Fundationibus definiuntur (cf. n°15).

**ST 5.B**

Quæ infra de communitate locali dicuntur æquo iure, nisi aliud caveatur, valent de abbatia, de prioratu sive maiore sive simplici necnon de fundatione.

**C. 6 De communitatis constitutione**

Communitas sororibus constituitur quæ professionem in ea emiserunt, novitiis aliisque probationis causa in eam admissis atque oblatis.

**ST 6.A**

Inter supradictas professas annumerantur:

- a. sorores conversæ quæ ante Decretum Unificationis anni 1965 vota emiserunt;
- b. sorores externæ.

**ST 6.B**

Oblatae vitam communitatis participant iuxta normas Statuti de Oblatis a Capitulo Generali promulgati atque consuetudines locales.

**ST 6.C**

Sorores ex aliis monasteriis Ordinis modo stabili venientes communitatis vitam participant, praeter ea quae Capitulo conventionali pertinent.

**ST 6.D**

Unaquaque communitas proprium statutum necnon compositionem ad normam nationis suæ legum prudenter definire potest.

## CAPUT I: De conversatione Cisterciensi

### C. 7 De regulari observantia

Conversatio in Ordine Cisterciensi Strictioris Observantiæ vita est Deo consecrata, quæ in unione fraterna, in solitudine et silentio, in oratione et labore, atque in disciplina vitæ exprimitur. Arcana fecunditate apostolica Corpus Christi mysticum dilatat.

### C. 8 De consecratione monastica

Professione monastica (cf. can. 654 CIC) soror Deo consecratur et communitati monasticæ quæ ipsam suscipit aggregatur. Simulque consecratio iam in baptismatis et confirmationis sacramentis suscepta, renovatur et vivificatur. Soror autem fidi stabilitate, ad veram morum conversionem alacri obœdientia usque ad mortem sese obligat.

### C. 9 De stabilitate in loco

Voto stabilitatis in communitate sua soror, confidens de providentia Dei qui ipsam in hunc locum et sororum cœtum vocavit, ad instrumenta artis spiritualis ibi constanter adhibenda se obligat.

### C. 10 De conversatione morum

Voto conversationis morum soror, in simplicitate cordis sui Deum quærens per ducatum evangelii, ad disciplinam Cisterciensem se obligat. Nihil ex omnibus bonis sibi reservans, ne proprii quidem corporis potestatem, ipsi acquirendi et possidendi capacitatii renuntiat, atque propter regnum cœlorum continentiam perfectam in cælibatu profitetur.

### C. 11 De obœdientia

Voto obœdientiæ soror, sub regula vel abbatissa vivere desiderans, omnia quæ legitimi Superiores secundum has Constitutiones præcipient implere promittit. Sic propriæ voluntati renuntiando, exemplum Christi usque ad mortem obœdientis sequitur scholæque dominici servitii se tradit.

### C. 12 De vestitu monastico

Vestis Cisterciensium propria cuculla est albi coloris. Die professionis sollemnisi impertita, signum est consecrationis monialis totiusque Ordinis unitatis.

#### ST 12.A

Vestitus, qui iuxta traditionem tunica alba, scapulari atque velo nigri coloris et cingulo ex corio insuper constat, pro locorum adjunctis adaptari potest.

#### ST 12.B

Professæ temporariæ et novitiæ cappa utuntur loco cucullæ necnon velo albi coloris. Novitarum autem scapulare albi coloris est.

## C. 13 De vita cœnobitica

1

In proprio monasterio monialis vitam communem dicit. Hæc est lex vitæ communis : unitas spiritus in caritate Dei, vinculum pacis in mutua et continua caritate omnium sororum, communio in omnibus bonis communicandis.

### ST 13.1.A

Mensa communis concordiam sororum designat et roborat. Quare omnes simul ad mensam accedant, nisi rationabili causa excusentur.

### ST 13.1.B

Si cellæ dantur, earum usus ab abbatissa iuxta morem localem determinatur. Vitæ vero communi præiudicium ne afferant, modestæ atque Cisterciensi simplicitati conformes permaneant. Eas visitare abbatissæ licet.

2

Infirmitates suas sorores patientissime tolerent et humiliter sibi invicem serviant. Debiles, fluctuantes et infirmas oratione ceterisque congruis mediis adiuvent. Ægrotæ, senes atque moribundæ prævenienti et affectuosa sollicitudine amplectendæ sunt.

### ST 13.2.A

Maximam curam habeat abbatissa ut infirmis et ætate proiectis sedulo amanterque, sicut revera Christo, serviatur. Si fieri potest, unctio infirmorum eis in conventu sororum administretur.

3

Monialis a monasterio sine abbatissæ licentia discedere nequit. **Si autem de diurna absentia agatur, abbatissa Patre Immediato consulto et cum consensu sui consilii atque iusta de causa, concedere potest ut extra monasterium degat monialis, non tamen ultra annum, nisi infirmitatis curandæ causa vel studiorum ratione vel, in casibus extraordinariis, ad vitam eremiticam ducendam.** (CG 2022/2, 85)

### ST 13.3.A

Auditio consilio suo, (...) abbatissa sorori permittere potest ut vitam eremiticam ducat. Eremita sub auctoritate abbatissae permanet. **Si eremita extra fines monasterii degere desideret, abbatissa consensum sui consilii obtainere debet necnon, consensum Ordinarii loci in quo commorabitur. Hoc in casu licentia non dabitur nisi post examen grave intentionis, ne qua soror vitam communem fugiat vel quis sororem e monasterio trahat.** (CG 2022/2, 87; *emend. S.S.*)

## **C. 14 De communitatis unitate et pluriformitate**

**1**

Communitas unum in Christo corpus efformat; singulæ autem sorores, dona spiritualia secundum multiformem gratiam Dei recepta secum invicem communicantes, fraternitatis ædificationem summopere promoveant.

**2**

Essentialis conversationis Cisterciensis alternatio inter Opus Dei, orationem lectionemque divinam ac laborem manuum, determinetur secundum cuiusque sive indolem sive institutionem sive vitæ profectum. Abbatissa vero ita omnia discernat et temperet ut quæque soror in vocatione Cisterciensi crescere possit.

## **C. 15 De reconciliatione cum Deo et sororibus**

**1**

Unitatis inter sorores conservatio a sincero mutuo ad reconciliationem conatu pendet. Itaque, ut scandalorum spinæ a communitate removeantur, sorores iracundiæ tempus ne reseruent, sed cum discordante quamprimum in pacem redeant.

### **ST 15.1.A**

Correctione humili et discreta, sorores spiritu evangelico sibi invicem subveniant. Modos ad hoc sibi idoneos communitas determinet.

**2**

Peccata sua sorores cotidie in oratione Deo confiteantur et ad reconciliationis sacramentum frequenter accedant; qui accessus ab abbatissa facilis reddatur.

### **ST 15.2.A**

Pro opportunitate, abbatissa providere potest ut celebratio aliqua pænitentialis communis habeatur.

## **C. 16 De actuosa sororum participatione**

**1**

Sorores vitam communem plene participandi et ius et officium habent; quæ tamen participatio diversimode exerceri potest.

**2**

Omnes enim sorores ad mutuam sollicitudinem, cooperationem et obœdientiam vocatæ sunt. Sollicitæ ergo sint de condicione spirituali communitatis, scientes zelum bonum unius omnibus prodesse, amarum vero obesse.

**3**

Cum reverentia personæ humanæ ad Dei imaginem creatæ regat abbatissa sorores, illarum voluntariam obœdientiam promovens ac dona industriæ vel ingenii pro opportunitate fovens. Ita eo sorores perducat, ut ipsæ in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili obœdientia cooperentur, firma tamen sua auctoritate decernendi et præcipiendi quæ agenda sunt.

**4**

Abbatissa et officiales quod omnium interest cum sororibus communicent, earumque optata et suggestiones libenter accipient.

**C. 17 De vita liturgica****1**

In celebratione liturgica communitatis finis spiritualis specialiter apparet, monasticæ vocationis sensus intimus atque sororum communio roborantur et crescunt. In ea Verbum Dei cotidie auditur et sacrificium laudis Deo Patri offertur, mysterium Christi participatur et opus sanctificationis a Spiritu Sancto efficitur.

**ST 17.1.A**

Liturgia celebratur secundum ritum ad quem communitas pertinet. Modo indoli propriæ uniuscuiusque ritus congruo, ad traditionem cisterciensem se conformet, iuxta normas a Capitulo Generali approbatas, et, si casus ferat, a Sancta Sede confirmatas.

**2**

Varia anni cycli liturgici tempora vitam contemplativam sororum alere ac ditare summopere valent; firmissimum sane præbent fundamentum prædicationi et institutioni communitati tradendæ.

**3**

Dies dominica, Resurrectionis mysterio dicata, dies est lætitiae et vacationis ab opere. Hoc modo ampliore atque impensius sorores Eucharistiam insimul participare, lectioni divinæ atque orationi incumbere studeant.

**C. 18 De Eucharistiæ celebratione**

Eucharistia fons et culmen est totius vitae christianæ atque sororum in Christo communionis. Ideo cotidie a tota communitate celebretur. Participatione enim mysterii paschalis Domini, sorores arctius inter se atque cum tota Ecclesia coalescant.

**C. 19 De Opere Dei****1**

Operi Dei nihil præponatur. Igitur Liturgia Horarum a communitate celebretur, quæ, una cum Ecclesia, sacerdotale munus Christi adimplet, Deo sacrificium laudis offerendo ac pro totius mundi salute intercedendo.

**ST 19.1.A**

Opus Dei, utpote diei sanctificatio, horis competentibus traditione Cisterciensi vel consuetudine locali statutis persolvatur.

**2**

Liturgia Horarum schola est orationis continuæ ac pars eximia conversationis monasticæ. Abbatissæ munus est sollicitudinem ad Opus Dei inter sorores promovendi.

**ST 19.2.A**

Talis sit celebratio, ut communitatis spiritum exprimere et ad plenam sororum participationem inducere valeat.

**ST 19.2.B**

Peculiaribus in casibus potest abbatissa modum determinare, quo aliqua monialis choralem Liturgiam Horarum participet. Quod nonnisi postquam rem cum ipsa sorore sedulo perspexerit necnon ratione habita de necessitatibus communitatis faciat.

**ST 19.2.C**

In casibus extraordinariis, Abbas Generalis de consensu sui consilii communitatem aliquam ab una vel duabus Horis minoribus dispensare potest.

**3**

Soror quæ absens forte fuerit a celebratione chorali, Horas persolvat iuxta dispositionem abbatissæ.

**C. 20 De memoria Dei**

Memoriam Dei constanter colentes, sorores Opus Dei per totum diem extendunt. Invigilet igitur abbatissa, ut unaquæque earum amplum habeat otium ad lectioni orationique vacandum. Adiacentia autem monasterii, cunctarum cura, silentio et quieti propitia sint.

**ST 20.A**

Omnes sorores, per sex saltem dies, sacri recessus tempora quotannis servent.

**C. 21 De lectione divina**

Lectio divina assidua sororum in Deum fidem maxime fovet. Hoc vitæ monasticæ præclarum exercitium, quo Verbum Dei auditur et ruminatur, fons est orationis, atque contemplationis schola in qua monialis cor ad cor cum Deo loquitur. Ideoque sorores cotidie huiusmodi lectioni per congruum temporis spatium vacent.

**ST 21.A**

Traditio lectionem divinam permagni facit, cui in communi incumbitur; quod præsertim Tempore Quadragesimæ commendandum est.

**ST 21.B**

Scriptorium locus traditionalis est ubi lectioni divinæ vacatur.

## **C. 22 De intentione cordis**

Moniales in spiritu compunctionis et vehementis desiderii ardore, orationi frequenter incumbant. In terra positæ, mente in cœlestibus versantur, vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderantes. Assumpta in cœlum, Beata Virgo Maria, vita, dulcedo et spes omnium in terra peregrinantum, numquam ab earum corde recedat.

### **ST 22.A**

Tempori sororibus cotidianæ lectioni ac orationi impendendo abbatissa prudenter provideat.

## **C. 23 De vigiliis nocturnis**

Iuxta Ordinis traditionem, horæ ante solis ortum Vigiliarum celebratione, oratione et meditatione aptissime Deo consecrantur, in sobria exspectatione adventus Christi.

### **ST 23.A**

Hora qua surgunt sorores ita determinetur, ut Vigiliæ indolem suam nocturnam retineant.

## **C. 24 De taciturnitate**

Taciturnitas inter monasticos Ordinis valores præcipuos annumeratur. Tutam reddit moniali in communitate solitudinem. Memoriam Dei et communionem sororum fovet, mentem Spiritus Sancti inspirationibus aperit, intentionem cordis et solitariam ante Deum orationem promovet. Ideo silentio, sermonis simul ac cogitationum custodi, sorores omni tempore studeant, maxime tamen nocturnis horis.

### **ST 24.A**

Iuxta Ordinis traditionem, silentium præsertim in locis regularibus observandum est, qualia sunt ecclesia, claustra, refectorium, scriptorium. Recreatione vero communitates Ordinis non fruuntur.

### **ST 24.B**

Normæ aliæ quibus loquelæ usus ordinatur, præsertim in capitulo et cellulis, ab unaquaque communitate statuuntur, in omni regulari visitatione verificandæ.

## **C. 25 De ascesi monastica**

Quies mentis in silentio colenda fructus est insuper puritatis ac simplicitatis cordis. Ideo monialis, in spiritu alacris pænitentiæ, media quæ ad hoc in Ordine adhibentur libenter amplectetur : laborem scilicet, vitam absconditam ac voluntariam paupertatem, vigilias quoque et iejunia.

## C. 26 De labore

Labor, manuum præsertim, monialibus occasionem præbens in divino creationis instaurationisque opere partem habendi atque Christi Iesu vestigiis inhærendi, speciali æstimatione in traditione Cisterciensi semper gaudet. Hic labor arduus et redemptor sustentationem sororibus aliisque, pauperibus in primis, procurat ipsarumque solidarietatem cum opificum multitudine exprimit. Fructuosa ascesis pariter occasio est, quæ evolutionem ac personæ maturitatem iuvat, sanitatem tam corporis quam mentis fovet, multum denique ad totius communitatis cohærentiam confert.

### ST 26.A

Temporis spatum labori assignandum secundum monasticæ conversationis exigentias determinatur atque loci necessitates. Sorores quidem per quattuor saltem cotidianas horas occupantur in labore, neque generatim sex excedant.

## C. 27 De simplicitate

Exemplo Patrum Cisterci, simplex cum Deo simplici commercium quærentium, sororum vivendi ratio simplex sit et frugalis. Omnia in domo Dei ita huiusmodi aptentur pro modo conversationis, quavis superfluitate seposita, ut simplicitas ipsa omnes docere valeat. Quam igitur in ædificiis et in supellectili, in victu et vestitu, atque in ipsa liturgica celebratione dilucide patere oportet.

### ST 27.A

Monasterium amœnitate ac simplicitate eniteat. Curent autem sorores ut ipsius adiacentia sedulo præserventur et quæ natura offert beneficia, sagaciter administrentur.

## C. 28 De ieunio

Ieiunium monasticum humilem creaturæ coram Deo condicionem exprimit, desiderium spirituale in corde monialis excitat atque miserationem Christi erga turbam esurientium participat. Sorores ieunium quadragesimale atque ieunium paschale, sed et alia ieunia secundum consuetudines Ordinis et abbatissæ dispositiones observent.

### ST 28.A

Die Cinerum et feria sexta Hebdomadæ Sanctæ sorores pane et aqua, vel similibus, ad prandium contentæ sint.

### ST 28.B

Iuxta traditionem, excepto casu necessitatis, quocumque tempore a carnis comedione sorores abstineant.

### ST 28.C

Si quæ soror, gratia Dei permota, in ieunium magis incumbere velit, hoc abbatissæ suæ suggerat.

## C. 29 De separatione a mundo: **Clausura monastica** (CG 2022/2, 91)

1

Quæ nihil amori Christi præponunt, et ipsæ sæculi actibus se faciunt alienas. Quod, iuxta monasticam traditionem, quemdam physicæ separationis gradum requirit. Propterea monasterium ita exstructum est, ut inhabitantium quietem et solitudinem omnino tutas reddat.

2

Ædes in quibus vivunt et laborant moniales, ipsis stricte reserventur. Ecclesiam tamen christifideles adire possunt, tempore præsertim quo divinus cultus ibi publice celebratur. Abbatissæ est, de consensu sui consilii, fines statuere strictæ clausuræ reservandos. Abbatissæ est ad normas iuris universalis iusta de causa permittere, ut extranei ibi accedant itemque ut moniales illinc egrediantur. In usu mediorum communicationis socialis necessaria servetur discretio atque nonnisi sedulo in tuto posita peculiari vitæ comtemplativæ ratione usus permitti potest. Moniales autem ad hanc separationis a mundo disciplinam sedulo efformentur. Horum vero principiorum applicatio, non abbatissæ tantum, sed et omnibus incumbit sororibus. (CG 2022/2, 94, *emend. S.S.*)

## C. 30 De hospitibus suscipiendis

Omne monasterium pro locorum et temporum adiunctis traditionem teneat hospites et egenos ut Christum suscipiendi. Quos divina providentia ad monasterium perducit, ipsi a sororibus cum reverentia et humanitate suscipientur, quin tamen hoc servitio quies monastica detrimentum patiatur.

### ST 30.A

Qui profundiorem orationem inquirentes monasterium adeunt, communitatis adiutorio gaudeant.

### ST 30.B

Dei dispensatione, monasteria non solum domesticis fidei sed et omnibus hominibus bonæ voluntatis, ut loca sancta constituuntur.

### ST 30.C

Modum participationis hospitum in Opere Dei ipsius communitatis est disponere.

### ST 30.D

Sororum consanguinei humanissime suscipientur, modo quidem monasticæ vocationi consono.

### **C. 30 bis De tutela personarum minorum et vulnerabilium**

Omnes communitates et omnia membra Ordinis attendant ut dignitatem cuiusvis personae in primis minorum et vulnerabilium respiciant et semper vigilent ut quemvis abusum potestatis vel conscientiae et aggressiones sexuales prohibeant. prohibeant.

#### **ST 30 bis.A**

Modus procedendi pro communitate scripto redigitur una cum variis Ecclesiæ auctoritatibus. Communitas docetur quo modo hac in materia agendum sit.

#### **ST 30 bis.B**

Hic modus procedendi atque usus ipsius in visitatione regulari examinentur.

(CG 2022/2, 123)

### **C. 31 De monialium apostolatu**

Fidelitas erga conversationem monasticam zelo regni Dei totiusque generis humani salutis intime connectitur. Quam apostolicam sollicitudinem moniales in corde gerunt. Earum vero Christi eiusque Ecclesiæ missionem participandi forma earumque in Ecclesia particulari incorporatio ipsa est contemplativa vita. Ideo, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, advocari nequeunt ut in variis ministeriis pastoralibus vel in alia externa actuositate operam adiutricem præstent.

#### **ST 31.A**

Ubi, peculiaribus in adjunctis, auxilium quoddam pastorale (...) a communitate petatur, abbatissa, si hoc expediendum iudicet, petitioni assentiens, ministerium huiusmodi sorori committat, quæ ad illud implendum et perita et parata sit.

(CG 2022/2, 95)

### **C. 32 De relatione cum Ecclesiæ Hierarchia**

Moniales cum Ecclesia particulari ad quam pertinent eiusque Episcopo, quem devoto obsequio ac reverentia prosequuntur, caritatis necessitudines foveant. Summo Pontifici, Christi Vicario, tamquam supremo earum Pastori, etiam ratione voti obœdientiæ humiliter pareant.

## CAPUT II: De servitio auctoritatis

### C. 33 De ministerio abbatissæ

1

Abbatissa e sororibus electa, suam potestatem a Deo per ministerium Ecclesiæ recipit. Christi vices in monasterio agere creditur. Ut mater totius communitatis, ei ministrat tam in spiritualibus quam in temporalibus (cf. cann. 596 § 1 et 618 CIC).

2

Sollicitudinem pastoralem gregis sibi commissi abbatissa gerat; humanitatem benicitatemque Christi omnibus ostendat, studens plus amari quam timeri, se cuiusque indoli conformans ac sorores adhortans ut divinæ vocationis viam alacri lætoque animo percurrant. Pro singulis ad Deum assidue oret.

3

Magistra in schola Christi, abbatissa custos est fidelitatis discipularum erga monasticam traditionem. Illas pabulo Verbi Dei suoque enutriat exemplo. Neque sese Scriptura Sacra Patrumque sapientia reficere negligat. Facilis pateat omnibus monialibus ad ipsam accessus colloquii causa.

#### ST 33.3.A

Statutis diebus collationem habeat abbatissa communitati, cui Regulam Sancti Benedicti frequenter explicet.

#### ST 33.3.B

Sorores cum fiducia abbatissam suam adeant, eique cogitationes cordibus suis advenientes libere ac sponte pandere possunt. Ipsa autem nullo modo eas ad conscientiam sibi manifestandam inducat.

4

Sapiens medica, abbatissa et sua et aliena vulnera curare ac nomine Christi peccato sauciatis mederi studeat. Magnopere sollicitudinem gerere debet et omni sagacitate et industria currere, ne aliquam de sororibus sibi creditis perdat. Si res postulat, spiritualium seniorum iuvamen invocet. Præcipue vero omnium orationem ad sanandas sororum infirmitates adhibeat.

### C. 34 De regimine abbatissæ

1

Abbatissa superior maior est ad normam iuris. In spiritu Regulæ Sancti Benedicti, plena in monasterio potestate gaudet tam in temporalibus, quam in spiritualibus.

#### ST 34.1.A

Superiorissa monasterii quod adhuc pars est domus fundatrix potestatem habet delegatam, quam ipsa vero subdelegare potest.

### **ST 34.1.B**

Superiorissa ad nutum, de qua in ST 39.2.B, potestate ordinaria propria gaudet utpote communitatis sui iuris superiorissa maior.

## **2**

Quæ de abbatissa statuuntur, æquo iure valent de priorissa prioratus, necnon de superiorissa ad nutum, nisi aliud expresse caveatur.

### **C. 34 bis De designatio Commissariæ Monasticæ**

#### **1.**

Si communitas statum grave incurrit Capitulum Generale exercitium autonomiae huius communitatis suspendere potest et auditio Patre Immediato Commissariam Monasticam nominare potest iuxta normam par. 10 in Statuto de communitatibus fragilibus curandis et suppressione monasterii.

#### **2.**

Commissaria Monastica quæ membrum Ordinis vel membrum alterius Ordinis vel Instituti religiosi esse potest, ordinaria potestate utitur velut superior maior monasterii sui iuris velut in litteris nominationis scriptum est. Commissaria vicem communitatis in Capitulo Generali gerit et iure suffragii fruitur si membrum Ordinis est.

#### **3.**

Status communitatis in omnibus Capitulis Generalibus sequentibus examinabitur et cum status modo sufficienti melior redditus erit domui autonomia reddetur.

(CG 2022/2, 13, *emend. SS*)

### **C. 35 De sororibus officialibus**

In variis monasterii officiis coadiutrices idoneas eligat sibi abbatissa. Cum consilio sororum timentium Deum, priorissam, magistrum novitarum, cellararium, ceterasque instituat officiales, in quibus secura partiat onera sua. Sorores sic electæ alacriter et laudabiliter officia sua secundum mandata Dei et præcepta abbatissæ impleant, ut in domo Dei nemo conturbetur neque contristetur.

### **C. 36 De consulendis sororibus**

#### **1**

Pro rebus quæ ad communitatis bonum pertinent, Regulæ admonitionis memor, abbatissa sorores libenter consulat; quod tum per capitulum conventuale tum per peculiare consilium facere valet. Sorores autem ad consultationem adeant docilitatis spiritu erga Sancti Spiritus vocem et humiliter actuoseque sententiam suam proferant. Præterquam ubi lex aliter statuit, abbatissæ est, sororibus diligenter auditis, decisionem ultimam ferre. In rebus intimis secretum omnes sedulo servent.

## 2

Suffragatio sit secreta in omnibus electionibus, in aliis casibus a iure determinatis, aut si una e præsentibus id postulet. In suffragiorum computatione suffragia nulla et abstentiones non computantur. Quando ad actum ponendum consilii abbatissæ vel capituli conventionalis consensus requiritur, ut valide agat abbatissa, huiusmodi consensum obtinere debet sive partis absolute maioris sive duarum ex tribus partibus suffragiorum, prout casus fert. Obtento consensu, abbatissa actum ponere potest sed non tenetur. Negato autem consensu, valide agere nequit. Quando pariter abbatissæ præscribitur ut consilium suum aut capitulum conventuale audiat, consultatio illa ad actus validitatem requiritur.

### ST 36.2.A

Suffragia ne sumantur nisi prius res deliberanda dilucide proposita sit, aliquo intervallo reflexionis et orationis causa proviso.

### ST 36.2.A bis

Quando consensus requiritur, de suffragatione cum maioritate absoluta suffragiorum agitur, nisi majoritas duarum e tribus partibus suffragiorum modo explicito requiratur.

### ST 36.2.B

Scrutinio peracto abbatissa, quoties consensus requiritur, cum duabus testibus suffragia diribeat et exitum annuntiet. Exitus vero in libro actuum capituli aut consilii referatur, subscribendus ab ipsa abbatissa et duabus testibus.

## 3

Petens consilium aut consensum, superiorissa suffragium emittere potest sed non tenetur. Absentes neque possunt per litteras suffragium mittere neque procuratricem ad suffragium ferendum constituere. Exclaustratæ autem voce activa et passiva carent.

### ST 36.3.A

Soror a suo monasterio absens servitii Ordinis aut valetudinis vel studiorum vel, iuxta C. 13.3, vitæ eremiticæ causa, uti capituli conventionalis membrum, vocem servat activam et passivam. Debet autem in utendo hoc iure aut non utendo se prudentem exhibere, iudicio præeditam, suarum responsabilitatum conscientiam.

### ST 36.3.B

Salvo præscripto ST 36.3.A, vox activa sororis quæ a suo monasterio ultra sex menses, etsi legitime abfuerit, suspenditur.

#### a.

Si soror absens in communitatem suam definitive redire vult, potest abbatissa cum consensu sui consilii, quam diu abfuerit considerando, exigere ut tempus quoddam conveniens in communitate degat, antequam ius suffragii ferendi iterum exercere possit.

#### b.

Qui electioni præsidet potest, consulto capitulo conventionali, exercitium iuris suffragii ferendi sorori commoranti habitualiter in monasterio restituere, quæ illud absentia amiserat.

### **C. 37 De capitulo conventuali**

Sorores a votis sollemnibus professæ, in communitate stabilitatem suam habentes, una cum superiorissa capitulum conventuale constituunt. Omnes voce activa et passiva in deliberationibus et actibus gaudent, nisi aliud in Constitutionibus caveatur.

#### **ST 37.A**

Consensu capituli conventualis, obtentis duabus ex tribus suffragiorum partibus, indiget abbatissa:

- a.** ut monialem Ordinis ad stabilitatem in communitate admittat, sine preiudicio exceptionis de qua in C. 60.**1**;
- b.** ut conceptum novæ fundationis ad effectum adducat;
- c.** ut fundatio erigatur in monasterium sui iuris;

#### **ST 37. A bis**

Consensu capituli conventualis, obtentis duabus ex tribus suffragiorum partibus, indiget Priorissa ut inchoetur processus ergendi prioratum ad gradum superiorem.

#### **ST 37.B**

Consensu partis absolute maioris capituli conventualis indiget abbatissa:

- a.** ut novitiam ad professionem temporariam admittat;
- a bis.** ut sororem ab alia communitate venientem ad professionem temporariam renovandam admittat;
- a ter.** ut monialem monasterii suppressi Ordinis ad stabilitatem in communitate admittat (C. 60.2)
- b.** ut sororem admittat ad professionem sollemnem;
- c.** ut procedere possit in rebus administrativis de quibus in C. 44;
- d.** ut filiationis mutatio permitti possit de qua in ST 73.C;
- e.** ut soror a votis temporariis a triennio saltem professa electioni in prioratu simplici interesse possit;
- f.** ut novæ fundationis processum inchoet.

#### **ST 37.C**

Consensu capituli conventualis indiget Pater Immediatus ut abbatissæ in condicionibus de quibus in ST 40.B.bis positæ capacitatem investiget et verificet necnon priusquam petat ut Abbas Generalis eamdem ab eius onere suspendeat.

## C. 38 De consilio abbatissæ

Ad communitatis regimen abbatissæ consilium adstat, quod membris quibusdam capituli conventionalis constat.

### ST 38.A

Consilium abbatissæ tribus saltem constet sororibus, quarum una vel plures a capitulo conventionali eligi possunt.

### ST 38.B

Consensu partis absolute maioris consilii sui indiget abbatissa:

- a. ut sororem quæ expleto novitiatu vel professione emissâ legitime egressa fuerit, rursus admittat sine onere repetendi novitiatum et ut modum tempusque novæ probationis definiat;
- b. ut tempus definiat quod, iuxta ST 36.3.B.a, in communitate degere debet, antequam ius suffragii ferendi iterum exercere possit, soror rediens;
- c. ut concedat moniali extra monasterium degere in casibus de quibus in C. 13.3; (cf. GC 2022/2, 85)
- c bis. ut statuat fines strictæ clausuræ reservandos;
- d. ut roget Abbatem Generalem, qui aliquam sororem, pacis causa, iuxta ST 60.1.B, obliget ut ad aliud monasterium pro tempore se transferat;
- e. ut roget Abbatem Generalem, qui a Sancta Sede petat obligationem pro aliqua sorore exclaustranda;
- f. ut indultum excastrationis moniali a votis sollemnibus professæ concedat pro spatio temporis quod unum annum non superat, ad normam C. 62.1.

### ST 38.C

Abbatissa consilium suum prius audire debet quando agitur:

- a. de postulante in novitiatum admittenda;
- b. de superiorissa novæ fundationis nominanda;
- c. de monialibus novæ fundationis designandis;
- d. de licentia alicui moniali danda ad vocationem eremiticam prosequendam;
- e. de sorore cum votis temporariis excludenda a sub sequente professione emittenda;
- f. de recurrendo ad Abbatem Generalem, ut indultum petat dispensationis a votis sollemnibus;
- g. de processus inchoatione de sorore cum votis sollemnibus aut temporariis dimittenda;
- h. de tempore postulatus prorogendo ultra duodecim menses, non tamen ultra biennium. (cf. CG 2022/1, 101)

### ST 38.D

Abbatissa cum suo agit consilio de declaratione facti emittenda, qua iuridice de dimissione constet alicuius monialis, ad normam can. 694 § 2 CIC.

## C. 39 De electione abbatissæ

**1**

Sede vacante, regimen monasterii a priorissa sumitur. Ipsa vero neque mutationem ullam inducat neque ullam ferat magni momenti decisionem, nisi gravi de causa id urgeat. Quo in casu audire omnino tenetur capitulum conventuale atque, quantum poterit, Patrem Immediatum.

**2**

Electio abbatissæ a capitulo conventuali una cum sororibus externis a votis perpetuis collegialiter fit. Pater Immediatus, qui electioni iure præsidet, eiusve delegatus, spiritum fidei et discretionis inter sorores promoveat, ita ut domui Dei dignam constituant dispensatricem.

### **ST 39.2.A**

Pro electione quæ fit quando fundatio in monasterium sui iuris erigitur, et usquedum communitas ad statum prioratus maioris accedat, professæ a votis temporariis qui saltem tres annos professionis habent, de consensu capitulo conventualis suffragium suum ferre possunt.

### **ST 39.2.B**

Si communitatis bonum id requirit, Pater Immediatus electionem ultra tres menses procrastinare potest ac etiam proponere ut communitas ad regimen superiorissæ ad nutum accedat. Priusquam hanc decisionem ferat, capitulum conventuale audiat et consensum Abbatis Generalis obtineat. Denuo sorores audiat antequam personam superiorissæ ad nutum seligat. Tempore vero Capituli Generalis, si regimen istud extraordinarium ultra tres annos iam protrahitur, Pater Immediatus, communitate prius audita, rem iudicio Capituli Generalis submittat.

### **ST 39.2.C**

Si numerus membrorum a votis sollemnibus professorum ad quinque reducitur, communitas ius superioris eligendæ perdit. Hoc in casu Pater Immediatus statim Abbatem Generalem certiorem reddit et ad nominationem superioris ad nutum procedit vel Statutum de communitatibus fragilibus curandis observat tali modo qualis status est. (CG 2022/2, 96)

**3**

Ut monialis in abbatissam eligi possit, requiritur ut septem saltem annos sollemniter in Ordine professa sit.

### **ST 39.3.A**

Eligenda annos nata sit saltem triginta quinque.

### **ST 39.3.A bis**

Si quæ monialis annum aetatis septuagesimum quintum expleverit, nec elegi nec postulari potest. (CG 2017, 12)

**ST 39.3.B**

Quæque soror in Ordine professa in abbatissam eligi potest, nisi iam sit alius monasterii abbatissa aut consiliaria Abbatis Generalis. Attamen consiliaria Abbatis Generalis in propria communitate eligi potest.

**4**

Abbatissa vel priorissa prioratus maioris ad tempus non definitum eligitur. Attamen ad tempus definitum eligi potest, iuxta condiciones a Capitulo Generali statutas. Priorissa autem prioratus simplicis eligitur iuxta normas Statuti de Fundationibus.

**ST 39.4.A**

Quando pars absolute maior capituli conventionalis id optat, idem capitulum potest abbatissam ad tempus definitum sex annorum eligere.

**ST 39.4.B**

Ante electionem, qui ei præsidet a capitulo conventionali quærere tenetur utrum abbatissam pro termino sex annorum eligere desideret.

**ST 39.4.C**

Abbatissa ad tempus definitum electa semper reelegi potest **salvo ST 39.3.A bis.**

**ST 39.4.D**

Terminus ad electionem assignandus quindecim saltem dierum post vacationem officii esse debet, ad sumnum autem trium mensium, nisi iustum impedimentum exsistat. In casu autem mandati abbatialis ad tempus definitum, electio fit statim mandato elapso.

**5**

Ut quæ electa sit, pars absolute maior suffragiorum requiritur, votis nullis et abstentionibus non computatis. Quæ si in primo et secundo scrutinio obtenta non fuerit, ulteriora fiant scrutinia, donec obtineatur. Electionis autem præses, de consensu capituli conventionalis, scrutiniorum numerum facultatem habet propter bonum communitatis limitandi. Ad aliquam vero postulandam saltem duæ tertiae partes suffragiorum requiruntur.

**6**

Electio confirmatur ab Abbe Generali. Unaquæque vero reelectio novam ab Abbe Generali confirmationem requirit.

**ST 39.6.A**

Confirmatione recepta, electa installatur et tempore opportuno benedictionem abbatiale recipit.

**ST 39.6.B**

Acta electionis Abatti Generali quamprimum transmittantur.

**ST 39.6.C**

Electio, installatio ac benedictio abbatialis fiunt iuxta rituale Ordinis.

#### **C. 40 De renuntiatione ab officio**

Abbatissa iusta de causa renuntiationem ab officio suo Capitulo Generali submittere potest. Capitulo Generali non sedente, renuntiatio praesentatur Abbatii Generali qui, hac in re, ut Vicarius Capituli agit.

##### **ST 40.A**

Septuagesimo quinto ætatis anno expleto, renuntiationem ab officio abbatissa sponte exhibeat. **Hanc renuntiationem semper Abbatii Generali exhibit qui eam Capitulo Generali non transmittat nisi in casibus specialibus. (CG 2022/2, 16)**

##### **ST 40.A bis**

Abbatissa cuius renuntiatio post septuagesimum quintum ætatis annum expletum accepta non est, iterum **Abbatii Generali renuntiationem suam sex menses ante proximum Capitulum Generale offert. In casibus specialibus Abbas Generalis rem Capitulo Generali commendare potest. (CG 2022/17)**

##### **ST 40.B**

Renuntiatione ab abbatissa proposita, Pater Immediatus semper audiatur, mens communitalis, si res postulat, sedulo inquiratur, et etiam superiorissæ vicinæ convenienter consulantur.

##### **ST 40.B bis**

Si quavis infirmitate abbatissa in impossibilitate physica vel psychica munus suum pastorale exercendi posita est, Patri Immediato competit, peritis consultis et capituli conventionalis consensu obtento, statum eius investigare et verificare. Si res constat, de eadem Abbatem Generalem certiorem reddit, qui cum consilii sui consensu abbatissam ab eius onere removere potest.

Si alia de causa ut captivitate, relegatione aut exilio (cf. can. 412 CIC) agitur, ad Patrem Immediatum pertinet, consensu capituli conventionalis obtento, petere ut Abbas Generalis, cum consilii sui consensu, abbatissam ab eius onere suspendeat. Tum Pater Immediatus superiorissam ad nutum nominat vel capitulum conventuale rogat ut superiorissam ad tempus eligat.

##### **ST 40.C**

Monialis quæ communitatem professionis suæ ad abbatiale ministerium in alia Ordinis communitate exercendum reliquerit, officio dimisso vel expleto mandato, pristinam stabilitatem, intra annum, resumere potest.

## **CAPUT III: De administratione bonorum temporalium**

### **C. 41 De rebus monasterii temporalibus**

**1**

Fidelitas erga Cistercienses traditiones exigit ut reditus qui communitati constanter obveniunt, e fructibus laboris sui præcipue proveniant. Quæque soror ius et officium habet communitati inserviendi, partem suam in eius labore, pro viribus et secundum œconomicam monasterii rationem, assumens.

**2**

Est munus abbatissæ, utpote domus Dei dispensatricis, substantiam monasterii rerumque temporalium usum ita moderari, ut simul et humanis necessitatibus provideatur et legi obœdiatur Evangelii. Doctrinæ Ecclesiæ de iustitia sociali communitas fideliter adhæreat atque a qualibet abstineat oppressionis structura in negotiis gerendis sustinenda.

**3**

Iuxta longævam traditionem pars aliqua reddituum monasterii, pro possibilitate, necessitatibus Ecclesiæ egenisque sustinendis destinetur.

### **C. 42 De condicione iuridica**

De iure Ordo ipse et singula monasteria personæ iuridicæ sunt, capaces bona temporalia acquirendi, possidendi, administrandi atque alienandi.

### **C. 43 De administratione ordinaria**

**1**

Abbatissa cellararium instituat, cui ordinaria monasterii in re temporali administratio competat. Illius tantum, præter abbatissam, est plerumque expensas et actus iuridicos nomine monasterii valide facere. Potest autem abbatissa etiam quibusdam aliis sororibus gestiones alias committere, fines quidem ipsarum auctoritatis necnon muneris in re pecuniaria determinando. Quæ officiales omnes abbatissæ rationem reddere tenentur.

#### **ST 43.1.A**

Monasterium sumptuarias rationes componit iuxta methodum loci usitatam, statis temporibus iudicio periti subiciendas.

#### **ST 43.1.B**

Ad pecuniam collocandam requiritur abbatissæ consensus. Collocationes vero prudenter gerendæ sunt, et quæcumque vetatur negotiatio.

#### **ST 43.1.C**

Nullo umquam in casu licet Ordinis sodalibus iura tertii concedere quoad usum verborum "Trappa", "Trappensis", neque ab hisce derivatorum. Omni ope et opera enitantur vero ut, suæ civitatis iure agendo, quævis horum vocabulorum ereptio sive imitatio vel illicita tractatio impediatur seu desinat. Caveant pariter ne iura cedant vel concedant ullam usurpandi appellationem qualicumque ratione (qua insigne, nomen commerciale atque huiusmodi) a titulo productam sui monasterii aut vocibus compositam quales ex. gr. sunt "abbatia", "monachus", "monasterium", et similes.

**2**

Monasterium consilium habeat de re pecuniaria, quocum statis temporibus abbatissa statum œconomicum monasterii examinet.

**3**

Administratio rerum temporalium in visitatione regulari examinetur.

**ST 43.3.A**

Sumptuariæ rationes monasterii visitatori exhibendæ sunt, qui eas examinet vel personæ competenti examinandas tradat antequam subscriptionem suam apponat. Si statum œconomicum monasterii visitator perclitari deprehenderit, de hoc Abbatem Generalem certiorem faciat atque, si visitator delegatus est, Patrem Immediatum.

**C. 44 De administratione extraordinaria**

**1**

Sive alienationes sive transactiones quibus condicio patrimonialis monasterii peior fieri possit, velut actus extraordinariæ administrationis censendæ sunt. Ad quos valide ponendos, si de negotiis agatur quæ summas a iure definitas excedant, speciales requiruntur licentiae.

**2**

Sanctæ Sedis licentia requiritur quando agitur de actu extraordinariæ administrationis qui summam ab ipsa Sancta Sede pro cuiusque regione definitam superat, itemque de rebus ex voto monasterio donatis aut de rebus pretiosis artis vel historiæ causa.

**ST 44.2.A**

Quando Sanctæ Sedis licentia requiritur, consensus etiam obtineri oportet tam conventualis quam Generalis Capituli.

**ST 44.2.B**

In casu urgenti, licentia quæ a Capitulo Generali petenda esset, ab Abbe Generali cum consensu sui consilii et in scriptis præstata, obtineri potest.

**3**

Capitulum Generale summas determinat, quæ sine peculiaribus licentiis excedi nequeunt ad validitatem extraordinariæ administrationis actuuum qui sub § 2 non cadunt.

**ST 44.3.A**

Requiritur consensus capituli conventualis atque Capituli Generalis pro quocumque negotio quod summam maximam a Capitulo Generali definitam superat, necnon pro ædificiorum constructione vel demolitione, quando eamdem summam superat.

**ST 44.3.B**

Requiritur capituli conventualis consensus pro quocumque negotio quod summam minimam a Capitulo Generali definitam superat et ad procurationem gravis negotii alicui delegandam.

## CAPUT IV: De institutione

### C. 45 De institutionis processu

1

Conversationis Cisterciensis institutio divinæ similitudinis in sororibus, Spiritu Sancto agente, restorationem ut finem habet. Dei Genetricis pietatis cura adiutæ, in conversatione monastica sorores sic progrediuntur ut mensuram plenitudinis ætatis Christi paulatim assequi valeant.

2

Solitudo, oratio continua, humilis labor, voluntaria paupertas, castitas in cælibatu atque obœdientia artes non sunt humanæ neque ab hominibus addisci possunt. Attamen, doctrina abbatissæ necnon seniorum experientia et sapientia atque continuum communitatis iuvamen et exemplum sororibus, præsertim cum per varios casus vicissitudinesque itineris spiritualis laborent, prodesse summopere valent.

3

Communitatis est in institutionis processu adiutorium cuique sorori præstare ad conversationis Cisterciensis elementa essentialia assimilanda. Dum autem tirocinium agunt sorores ipsæ, propriæ responsabilitatis consciæ, ita cum formatoribus suis active collaborent ut divinæ vocationis gratiæ fideliter respondeant. Hæc formatio, ab ingressus tempore inchoata et per totam vitam protrahenda, pluribus constat aspectibus, humano scilicet, doctrinali et spirituali; eademque pastoralis abbatissæ munera præclara pars existimanda est.

#### ST 45.3.A

Ratio institutionis pro Ordine promulgetur, singulis in regionibus pro diversitate uniuscuiusque monasterii adiunctorum adaptanda.

#### ST 45.3.B

Ad hanc institutionem efficiendam, monasteria mutuum sibi subsidium libenter offerant.

### C. 46 De sororum admissione

1

Noviter venientes ad conversationem benigne suscipientur, facilis tamen eis non tribuatur ingressus. Frequentatio monasterii sororum congregationem ipsis familiarem reddet. Prædicentur autem eis omnia dura et aspera per quæ itur ad Deum. In communitate sane ne admittantur nisi dispositionem spiritualem ad vitam monasticam requisitam, maturitatem ac valetudinem sufficientem ostenderint; cum hæc vero adsint, ipsarum inclinatio hanc vitam amplectendi ut signum divinæ vocationis atque intentionis Deum revera et ex toto corde quærendi recognosci poterit.

#### ST 46.1.A

Aspirantatus dicitur tempus quo candidata communitatem in momentis communibus et contactu mutuo conoscere incipit et vice versa. Tempus aspirantatus duodecim menses complecti debet et duo annos non superet. (CG 2022/2, 98)

**ST 46.1.B**

Postulantes in spirituales Ordinis disciplinas quæ eis pro tempore conveniunt, inducantur. **Postulatus duodecim menses complecti debet, si necesse videtur abbatissa postulatum auditio consilio prorogare potest sed non ultra biennum.** (CG 2022/2, 100)

**2**

Ut sodalis a votis perpetuis ab alio instituto religioso veniens in Ordinem nostrum ingrediatur, concessione indiget tum supremi ipsius Moderatoris tum Abbatis Generalis de consensu sui cuiusque consilii. Professionem temporariam non emittit, sed post tres saltem annos probationis ad sollemnem professionem admitti potest. Si autem non admittitur, serventur normæ iuris universalis (can. 684 § 2 CIC). Idem universale ius canonicam ipsius condicionem tempore probationis definit.

**ST 46.2.A**

Soror licentiam absentiæ a suo instituto antea obtineat et sex saltem menses in communitate degat. Postea abbatissa, concessionibus ad transitum prædita, ad probationem trium annorum eam admittit, quorum duo saltem in tirocinio peragantur. Tempus vero probationis ab abbatissa per alias tres annos prorogari potest.

**ST 46.2.B**

Ut membrum Instituti saecularis aut societatis vitae apostolicae admittatur, requiritur licentia Sanctae Sedis, cuius mandatis standum est (Can. 684 § 5).

**C. 47 De novitiarum magistra**

Magistra novitiarum talis eligatur, quæ ad lucrandas animas apta sit, prudens, conversatione monastica optime imbuta, efficax in sapientia Patrum iunioribus tradenda, idonea quæ eas dirigat.

**ST 47.A**

Magistra novitiarum annos nata sit saltem triginta atque duo minimum sollemniter in Ordine professa.

**C. 48 De admissione ad novitiatum**

Abbatissa quæ a iure pro admissione ad novitiatum statuta sunt observet.

**ST 48.A**

Antequam postulantes ad novitiatum admittat, abbatissa consilium suum audiat.

**ST 48.B**

Ritus admissionis in rituali Ordinis invenitur.

## C. 49 De novitiarum institutione

1

Magistra novitiarum incipientes ad vitam familiæ monasticæ participandam perducat. In exercitiis monasticis, præ primis in Opere Dei, in lectione divina, in oratione et in labore manuum eas instruat. Novitiatu perdurante, nulla eis committantur officia vel opera, quæ ipsarum formationem impedire possint. Sorores omnes oratione et exemplo eas roborent et ad perseverantiam excitent.

### ST 49.1.A

Ut novitiarum institutioni aptius provideatur, pars specialis monasterii ipsis assignari expedit.

### ST 49.1.B

Inter abbatissam et magistram novitiarum sinceram solidamque unitatem spiritus, cordis atque orientationis existere oportet; quæ est condicio ad veram novitiarum institutionem omnino requisita. Pariter ordinationem novitiatus determinent, quæ ab abbatissa communitatì collaborationis gratia explicetur.

2

Obstacula ad plenam affectivam maturitatem in schola quoque dilectionis occurunt. Ideo maxime interest ut communitas sororibus ad ea superanda auxilium præbeat. Magistra autem novitiarum earum indolem et progressum constanter discernat, easque ad suam ipsarum cognitionem perducat, adhibitis, si opus fuerit, de hac re peritis. Novitiarum vero institutio sapientibus tantummodo et idoneis sororibus committatur.

## C. 50 De novitiatus tempore

Novitiatus per duos annos protrahitur. Abbatissa hoc tempus, rationis pastoralis causa, per dimidium annum prorogare potest. Ut validus sit novitiatus, novitia duodecim menses in novitiatu peragere debet. Quoad absentias a monasterio, durante hoc tempore, can. 649 § 1 CIC standum est. Prima professio anticipari potest, sed non ultra quindecim dies.

### ST 50.A

(...)

(cf. CG 2022/2, 105 – negato S.S.)

## C. 51 De admissione ad professionem temporariam

Tempore novitiatus sedulo discernatur an novitia incrementum spirituale acceperit ex sua vitæ monasticæ participatione. Si revera Deum quærit, si sollicita est ad Opus Dei, ad obœdientiam, ad opprobria, aptaque sit quæ relationes communicias, quibus vita Cisterciensis in Ordine contexitur, in solitudine et silentio recte vivere valeat, ipsa libere petens, novitiatu expleto, ad professionem temporariam ab abbatissa, capitulo conventuali consentiente, admittatur.

## C. 52 De professione temporaria

1

Votis temporariis sorores obligationes vitæ monasticæ proprias suscipiunt per **quinque annos** (**vel per triennium et postea biennium vel per unum annum bis renovandum et postea biennium**). Quod tempus abbatissa prorogare potest, non ultra **tres alios annos et caveat ne tempus formationis initialis duodecim annos superet.**

(*cf. CG 2022/2, v. 106 – negato S.S.*).

### ST 52.1.A

Ritus professionis temporariæ in rituali Ordinis invenitur.

2

Iuxta can. 668 § 1-3 CIC, soror professione temporaria astricta proprietatem bonorum suorum conservat et capacitatem alia bona acquirendi, sed, antequam ipsam professionem emittat, eorumdem bonorum administrationem alicui cedere atque de eorum usu et usufructu libere disponere debet. Hac in re abbatissa necessarias licentias dare potest.

## C. 53 De institutione professarum a votis temporariis

Professionis temporariæ annis institutio monastica perficiatur. Huiusmodi ratio institutionis paretur, ut novæ professæ magis ac magis Mysterium Christi et Ecclesiæ patrimoniumque Cisterciense cognoscant atque in vita sua exprimere satagant. Caveatur autem ne officia et opera, quæ professis a votis temporariis committantur, hanc institutionem impediunt.

### ST 53.A

Professæ a votis temporariis in noviciatu aut in speciali monasterii parte per aliquod tempus manere possunt. Curet autem abbatissa ut, pro monasterii viribus, auxilia quibus indigeant ipsis præbeantur.

## C. 54 De admissione ad professionem sollemnem

Elapso professionis temporariæ cursu, soror, habita secum morosa deliberatione qua momentum actus a se ponendi probe perceperit, petitionem ad professionem sollemnem faciendam abbatissæ suæ sponte exhibeat. Quam si abbatissa idoneam iudicat, cum consensu capituli conventualis, ad professionem admittat. Professio vero sollemnis anticipari potest ex iusta causa, non tamen ultra trimestre. Condiciones ad professionis sollemnis validitatem in can. 658 CIC enumerantur.

## C. 55 De renuntiatione bonorum

Quia soror professione sollempni capacitatem bona acquirendi et possidendi amittit, si qua possideat aut ius habeat recipiendi, tenetur pauperibus erogare aut alio modo de iisdem disponere ad normam can. 668 ' 4 et 5 CIC. Quam renuntiationem, forma, quantum fieri potest, etiam iure civili valida, ante professionem sollemnem faciat a die emissæ professionis valitaram. Quæ autem ei post renuntiationem obveniunt, monasterio cedunt.

## C. 56 De professione sollemni

1

Professione votorum sollemnium soror in fidei spiritu Christo se tradit et ad conversationem secundum Regulam Sancti Benedicti in sua communitate perpetuo ducendam se obstringit. Abbatissa et sorores benigne eam in communitatem suscipient, scientes se officio obstringi eam precibus et exemplis adiuvandi ut magis ac magis formam Christi induat.

### ST 56.1.A

Ritus benedictionis monialis in rituali Ordinis invenitur.

### ST 56.1.B

Abbatissa parochum loci in quo noviter professa baptismum recepit certiorem facit de professione sollemni emissa.

2

Sollemni professione soror definitive Ordini incorporatur cum iuribus et officiis iure definitis.

## C. 57 De formula professionis

Formula professionis hæc est:

*Ego, soror N., promitto stabilitatem meam, conversationem morum meorum et obœdientiam usque ad mortem secundum Regulam Sancti Benedicti Abbatis, coram Deo et omnibus Sanctis eius, in hoc monasterio quod vocatur N., Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiæ, constructo in honorem Beatissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ, in præsentia Reverendæ Domnæ N., abbatissæ huius monasterii, atque Domni N., Patris Immediati.*

## C. 58 De institutione continua

Post sollemnem professionem totiusque vitæ cursu sorores «philosophiam Christi» addiscant. **Sorores recenter a votis sollemnibus professæ in hoc tempore maturitatis vocationalis particularis curandæ et comitandæ sunt.** Institutio continua tam universæ communitati quam singulis sororibus, pro uniuscuiusque capacitate, offeratur. Hæc vero efformatio, semper Sancti Benedicti Regula atque Cisterciensi patrimonio exulta, divitiis bibliicæ, patristicæ, liturgicæ, theologicæ et spiritualis scientiæ fruatur. (CG 2022/2, 107)

### ST 58.A

Continuæ totius communitatis institutioni concurrunt liturgia, sermones abbatissæ, lectiones collationesque communitati datæ et bibliotheca aptis instructa libris. Abbatissa singulas sorores excitet ut secundum donum cuique proprium huic formationi active incumbant, mediis vitæ monasticæ convenientibus.

**ST 58.B**

Monasterio docentes ne desint præparatæ, quæ tempus habeant sufficiens ad munus suum efficaciter implendum.

**ST 58.C**

Sorores quæ diversis officiis et artibus occupantur, id æquo animo faciant. Curet vero abbatissa ut necessariam et utilem aptitudinem sibi acquirant.

## CAPUT V: De separatione a communitate et monasterii suppressione

### C. 59 De sollicitudine pastorali

**1**

Abbatissa a monasterio discedentes pastorali sollicitudine prosequatur. Ante omnia gratuito procedat, intuitu boni tam discedentis quam totius communitatis.

**2**

Egredientes vel dimissæ nihil a monasterio pro servitiis præstitis repetere possunt. Abbatissa tamen normas æquitatis atque evangelicæ caritatis erga sodales discedentes servet.

#### ST 59.2.A

Ut bonum tam sodalium quæ egrediantur vel dimissæ fuerint quam communitatis in tuto ponatur, probe noverit abbatissa leges de re sociali loci, ubi situm est monasterium.

### C. 60 De sororis ad aliud Ordinis monasterium transitu

**1**

Ut professa monasterium stabilitatis suæ mutare possit, nonnisi gravi de causa, consensus abbatissæ utriusque monasterii ac capituli conventionalis monasterii recipientis requiritur, **excepto casu qui in par 2 huius Constitutionis providetur**. Capituli autem consensus non petitur quando soror quæ stabilitatem suam pro fundatione mutaverat cum ista in monasterium sui iuris erecta fuerat, ad illud pristinæ suæ professionis reddit. (**cf. CG 2022/2, 11; emend. SS**)

#### ST 60.1.A

Quando de professa solemni agitur, præsentia eius in novo monasterio per unum saltem annum requiritur, antequam capituli conventionalis consensus petatur, qui duabus ex tribus partibus suffragiorum constare debet. Stabilitatis mutatio apta celebratione liturgica significatur.

In casu vero professæ temporariæ, elapso votorum cursu, tunc vota renoventur in communitate ad quam soror transire velit, obtento partis absolute maioris capituli conventionalis consensu. Probatio saltem trium annorum in novo monasterio necessario protrahenda sit. Expleto hoc tempore, si abbatissa sororem idoneam iudicet, cum consensu capituli conventionalis ad professionem sollemnem admittat.

#### ST 60.1.B

Abbas Generalis aliquam sororem, ad petitionem abbatissæ eius, eiusdemque consilio et Patre Immediato consentientibus, ipsa auditæ, obligare potest ut, pacis causa, ad aliud monasterium ad tempus, non autem ultra quinquennium, se transferat, debita communitatis recipientis consideratione habita.

**2**

Si monialis monasterii suppressi stabilitatem suam in communitatem transferre cupit, communitas quae monialem recipit consensum ad transitum per suffragium capituli conventualis dat in momento recipiendi. Majoritas absoluta requiritur.

(CG 2022/2, 11)

#### **C. 61 De transitu ad aliud institutum**

Si monialis ad aliud institutum vitæ consecratæ aut sœculare vel ad societatem vitæ apostolicæ transire velit, normæ cann. 684 et 685 CIC serventur.

#### **C. 62 De exclastratione**

**1**

Abbatissa cum consensu consilii sui moniali a votis sollemnibus professæ indultum exclastrationis tribuere potest non ultra unum annum si consensum ordinarii loci obtenuerit ubi monialis mansura est, consulto Patre Immediato. Abbas Generalis hoc indultum cum consensu consilii sui prorogare potest non ultra quadriennium. (CG 2022/2, 88)

##### **ST 62.1.A**

Ad petitionem abbatissæ, eius consilio consentiente et Patre Immediato consulto, gravem ob causam, servata quidem æquitate et caritate, Abbas Generalis potest, de consensu sui consilii, Sanctam Sedem rogare, quæ aliquam sororem ad exclastrationem obliget.

**2**

Monialis exclastrata ab obligationibus quæ cum nova suæ vitæ condicione componi nequeunt exoneratur. Manet autem sub dependentia suorum Superiorum eorumque curæ demandatur, et etiam sub dependentia Ordinarii loci. Habitum Ordinis deferre potest, nisi aliud in indulto statuatur. Voce tamen activa et passiva caret.

#### **C. 63 De egressu professæ a votis temporariis**

**1**

Quæ, perdurante professione temporaria, gravi de causa, petit ut monasterium derelinquat, indultum discedendi consequi potest ab Abbe Generali cum consensu eius consilii.

**2**

Soror, expleta professione temporaria, si iustæ causæ affuerint, ab abbatissa, suo auditio consilio, a subseguente professione emittenda excludi potest.

**3**

Si soror a votis temporariis infirmitatem contraxerit physicam vel psychicam, abbatissa can. 689 § 2 et 3 CIC servet.

#### **C. 64 De egressu professæ a votis sollemnibus**

Monialis a votis sollemnibus indultum discedendi ne petat, nisi ob gravissimas causas coram Deo perpensas. Petitionem deferat abbatissæ suæ, quæ eam cum consilio suo consideret et, cum suis peculiaribus animadversionibus, ad Abbatem Generalem mittat. Abbas Generalis eam una cum suo siue consilii voto ad Sanctam Sedem transmittat.

#### **C. 65 De dimissione**

Pro dimissione professæ a votis sive temporariis sive sollemnibus, quoad causas, processum et effectus, cann. 694-704 CIC serventur. Competentes his in casibus superiores sunt abbatissa cum suo consilio ut Superior maior atque Abbas Generalis item cum suo consilio ut Moderator supremus.

#### **C. 66 De nova in monasterium admissione**

Quæ, expleto novitiatu vel professione sive temporaria sive sollemni emissâ, legitime monasterium reliquerit, ab abbatissa, suo consentiente consilio, rursus admitti potest sine onere repetendi novitiatum. Eiusdem autem abbatissæ erit modum tempusque novæ probationis determinare, ad normam iuris universalis et pro rerum adjunctis.

##### **ST 66.A**

Ut modum tempusque novæ probationis definiat, abbatissa consensu indiget sui consilii.

#### **C. 67 De communitatibus fragilibus curandis et de monasterii suppressione**

##### **1**

Cum communitas statum grave incurrit oportet Ordinem et maxime Patrem Immediatum et Capitulum Generale huic domui consulere. Quo modo communites in tali statu positae curandæ sint in Statuto de communitatibus fragilibus curandis et de suppressione monasterii descriptum invenitur, quod a Capitulo Generali approbatum est.

##### **2**

Cum communitas, quamquam auxilium datum est, in statu fragilitatis crescentis manet et cum hic status irrevertibilis fuerit, necesse erit procedere ad suppressionem ad normas eiusdem statuti.

##### **3**

Unius Capituli Generalis est sui iuris monasterii suppressionem Sanctæ Sedi petere, duabus ex tribus suffragiorum partibus (CIC 616 § 4). Modus procedendi quem Capitulum Generale sequi debet in statuto De communitatibus fragilibus curandis et suppressione monasterii scriptum est.

(CG 2022/2, 12)

## CAPUT VI: De fundationibus

### C. 68 De fundationibus

1

Sororum numero crescente vel alio signo Providentiæ admonente, sciant ipsæ sorores se forsitan invitari ad vitam monasticam alio extendendam. Diligenter considerent an quædam fundatio non solum prudenter sed etiam fiducialiter ac libenter effici possit et quidem an modo monastico participare velint præsentiam contemplativam Ecclesiæ ad missionem Evangelii nuntiandi implendam. Modo speciali Vaticani II Concilii rogatui attendant ut conversatio monastica in novis Ecclesiis tradatur.

2

Modus quo monasterium conditur, in Statuto speciali de Fundationibus a Capitulo Generali approbato continetur.

### C. 69 De cura circa fundationes

1

Aliquam fundationem approbantes, abbates abbatissaeque hanc novellam plantationem cura fraterna circumdент.

#### ST 69.1.A

Sororum fundatricium selectio non sit res cuiusdam practicæ provisionis tantum, sed etiam discretionis cum oratione.

#### ST 69.1.B

In angustiis pecuniariis alicuius fundationis, superiores Ordinis media ad succurrendum necessaria præstent.

#### ST 69.1.C

Ordinis superiores institutioni præsertim in monasteriis quæ ab aliis valde sunt remota, subsidium ferre current.

2

Abbas Generalis permittere potest, de consensu sui consilii, ut novitiatus in aliqua fundatione erigatur.

3

Moniales quæ novum monasterium condunt, aliquam necessitudinem cum domo matre servant, ita ut inter utramque communitatem quædam affinitas semper remaneat, quæ fraternis relationibus exprimitur.

### C. 70 De adaptatione culturæ locali

Ubicumque terrarum nova eriguntur monasteria, fundatrices fiant loci illius amatrices. Vita monastica ad nullam formam culturalem nec systema politicum, œconomicum aut sociale alligatur; sed, quantum fieri potest, quæ de locali cultura merito valeant, recipientur quasi nova quædam instrumenta, quibus Cisterciensis patrimonii thesaurus exprimi ac locupletari possit.

**Pars tertia**  
**DE ORDINE CISTERCIENSI STRICTIORIS OBSERVANTIAE**

**C. 71 De vinculo unitatis**

**1**

Monasteria autonoma Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiæ, in diversis mundi partibus dispersa, vinculo caritatis atque communi doctrinæ iurisque traditione inter se coniunguntur.

**2**

Eorum superiores et superiorissae vinculo sollicitudinis pro cuiusque communitatis bono colligantur.

**3**

Hanc autem pastoralem curam atque supremam in Ordine auctoritatem, in Capitulum Generale convenientes collegialiter exercent.

**4**

Eadem porro pastoralis cura, moderante Capitulo Generali, per instituta filiationis et visitationis regularis exercetur, necnon per superiorum conventus atque varia officia quibus bonum totius Ordinis fovetur.

**C. 72 De monachis et monialibus Cisterciensibus Strictioris Observantiæ**

Cistercienses monachi et moniales Strictioris Observantiæ unum Ordinem constituunt, eiusdem patrimonii traditionem participantes, inter sese collaborantes et mutuum multimode auxilium præstantes, ratione quidem habita sanarum diversitatum et complementaritatis donorum eorum.

## CAPUT I: De filiatione

### C. 73 De filiationis indele

Iuxta Cartam Caritatis, communitates Cistercienses nexus filiationis inter sese uniuntur. Secundum traditionem filatio iuridicam accipit formam peculiari in relatione quæ instituitur inter monialium communitatem et monachorum monasterium, cuius abbas monialium fit Pater Immediatus. Paternitas et filatio mutuo adiutorio solacioque exprimuntur.

#### ST 73.A

Capituli Generalis est designationem approbare Patris Immediati novi monialium monasterii quando ad autonomiam accederit, communitatibus quarum interest prius consentientibus. Approbatio haec sumatur statim ut fundatio a Capitulo Generali accepta fuerit.

#### ST 73.B

Quando fundatio in monasterium sui iuris erigitur, abbas monasterii quod paternitatem assumpsit, Pater eius Immediatus fit.

#### ST 73.C

Omnis filiationis mutatio submittitur deliberationi communitatum quarum interest et Capituli Generalis (cf. ST 37.B.d.), cuius decisioni standum est si ad consensum non pervenitur.

### C. 74 De Patre Immediato

#### 1

Pater Immediatus progressui domuum filiarum invigilet. Salva domus filiæ autonomia, Pater Immediatus abbatissam, in eius munere pastorali explendo, adiuvet et sustineat, concordiamque in communitate foveat; si præcepta quædam Regulæ vel Ordinis ibidem viderit prævaricari, humiliter et caritative, abbatissa locali consulta, condicioni huiusmodi mederi studeat.

#### ST 74.1.A

Consensu Patris Immediati indiget abbatissa, ut roget Abbatem Generalem, qui aliquam sororem obliget ut ad aliud monasterium pro tempore se transferat.

#### 2

Vacante abbatissæ sede, Pater Immediatus a priorissa in rebus magni momenti consulitur. Abbatissæ electioni præest. Si necesse fuerit, superiorissam ad nutum nominet, ad normam iuris Ordinis.

#### ST 74.2.A

Renuntiatione ab abbatissa proposita, Pater Immediatus semper audiatur.

#### ST 74.2.B

Consensu capituli conventionalis indiget Pater Immediatus ut processum removendi impeditam abbatissam inchoet, et etiam priusquam petat ut Abbas Generalis, consilio suo consentiente, abbatissam impeditam ab onere eius suspendeat ad normam ST 40.B bis.

**3**

Pater Immediatus professionibus sollemnibus pariter præest. Prout fieri potest, tempore visitationis regularis faciliter adiri debet, consultationis seu consilii causa quando proprium visitationis ius delegavit. Sumptuarias monasterii rationes tempore visitationis regularis recognoscit.

**ST 74.3.A**

Mutationes officiorum et iurium Patris Immediati in his Constitutionibus definitorum, consensui Capituli Generalis subiacent.

**C. 75 De visitatione regulari****1**

Monasteria a Patre Immediato visitantur ; attamen Abbas Generalis quoque ea visitare potest. Pater Immediatus autem aliam personam ad visitationem singulis saltem sexenniis deleget. Priusquam visitatorem vel visitatricem deleget, sive Abbas Generalis sive Pater Immediatus monasterii visitandi abbatissam audiat quae et ipsa suam communitatem audiat, si quaedam abbatissa delegetur.

**ST 75.1.A**

Visitator aut visitatrix aliam personam comitem habere potest, ad normam Statuti de Visitatione regulari (n° 9), consulta prius monasterii visitandi abbatissa, quæ et ipsa suam communitatem audiat.

**2**

Propositorum visitationis regularis est actionem pastoralem abbatissæ loci roborare et complere atque, si res postulat, corrigere, sororesque excitare, ut renovata spiritus intentione vitam Cisterciensem prosequantur. Quod communitatis actuosam cooperationem requirit. Visitator iuris præcepta, spiritum Cartæ Caritatis et normas Capituli Generalis fideliter observet.

**ST 75.2.A**

Visitator delegatus potest esse superior aut superiorissa monasterii sui iuris. Potest etiam esse emeritus abbas (prior), aut emerita abbatissa (priorissa), vel consiliarius (consiliaria) Abbatis Generalis: his in casibus, sive Abbas Generalis sive Pater Immediatus audiat monasterii visitandi abbatissam, quæ et ipsa suam communitatem audiat.

**ST 75.2.B**

Singula monasteria singulis saltem bienniis visitari debent.

**ST 75.2.C**

Visitator, peracta visitatione, relationem intra duos menses ad Abbatem Generalem mittat, et, si de visitatore delegato agitur, de ea compendium quoddam etiam ad Patrem Immediatum mittat.

## **C. 76 De cappellano monialium**

**1**

Monialium communitates monachi Ordinis ministerio fruuntur, qui cappellani et confessarii munere fungatur. Pater Immediatus, abbatissa monialibusque auditis, Ordinario loci ad normam cann. 567 et 630 CIC monachum Ordinis, debita in re liturgica et pastorali præditum scientia, proponere debet ad munus cappellani confessariique ordinarie exercendum.

### **ST 76.1.A**

Huiusmodi consultatio communitatis certis temporibus iteretur.

**2**

Hic presbyter, vi officii, facultatibus gaudet, de quibus in can. 566<sup>1</sup> CIC dicitur. In liturgia celebranda abbatissæ et communitati cooperetur. Nullo modo communitatis regimini sese immisceat.

### **ST 76.2.A**

Cappellanus, prout fieri potest, vincula cum sua vel cum alia monachorum communitate servet.

## CAPUT II: De superiorum conventionibus

### C. 77 De Capitulo Generali

1

Temporibus statutis omnes abbates et omnes abbatissæ in unum conveniant, ibique de salute animarum suarum atque sororum fratrumque sibi commissarum tractent, in observatione sanctæ Regulæ vel Ordinis si quid emendandum est vel augendum ordinent, bonum pacis et caritatis inter se reforment, atque Ordinis patrimonio servando et unitati custodiendæ augendæque operam dent.

2

Omnes superiores et omnes superiorissae ita in Capitulo Generali congregati supremam exercent Ordinis auctoritatem. Capitulo Generali ius monachorum et monialium edicere competit eiusque applicationem curare. Potestas ecclesiastica regiminis in totum Ordinem in Capitulo Generali residet, iuxta canonem 596 § 2 CIC. Exercetur ab abbatibus abbatissis cooperantibus, iuxta canonem 129 § 1 et 2.

#### ST 77.2.A

Quælibet soror optata vel suggestiones Capitulo Generali submittere potest per propriam abbatissam, vel per conferentiam aut delegatam regionalem vel etiam directe per Abbatem Generalem.

#### ST 77.2.B

Capituli Generalis est invigilare ut Ordinis membra facultatem habeant recurrendi absque impedimento, ubi res postulet, ad diversas appellationis instantias : id est ad Patrem Immediatum, ad Abbatem Generalem, ad Capitulum Generale, vel ad Sanctam Sedem.

#### ST 77.2.C

Capitulum Generale ex solito singulis trienniis convocatur.

### C. 78 De Capitulo Generali participantibus

Capitulum Generale participandi obligatione tenentur, et quidem cum iure suffragii, Abbas Generalis, superiores atque superiorissæ monasteriorum sui iuris et consiliarii atque consiliariæ Abbatis Generalis. Capitulum alias quoque personas Ordinis invitare potest, et etiam ius suffragii ipsis communicare.

#### ST 78.A

Capitulo Generali adesse possunt cum iure suffragii:

- a. superiorissæ fundationum, dummodo eas invitaverint abbatissæ domuum fundatricium, de Abbatis Generalis consensu;
- b. delegatæ superiorissarum impeditarum quominus participant;
- c. repræsentantes communitatum quarum sedes vacant, ab ipsarum capitulis conventionalibus electæ.

## **ST 78.B**

Capitulo Generali interesse possunt sine iure suffragii:

- a.** delegatæ uniuscuiusque conferentiæ regionalis;
- b.** periti et observatores a Commissione Centrali invitati;
- c.** superiorissæ designatæ futurarum fundationum.

## **C. 79 De Capituli Generalis competentia**

Capituli Generalis est novas monasteriorum fundationes approbare, monacorum monasteria incorporare aut supprimere, monialium monasteria incorporare aut monasteriorum suppressionem Sanctae Sedi petere, Abbatem Generalem eligere et renuntiationem ab eius officio accipere. Capituli Generalis est etiam eligere Ordinis officiales ex legis praescripto atque eorum munerum invigilare exercitio, eorumdem acceptare renuntiationem aut, si res postulat, eos deponere; abbatum quoque et abbatissarum acceptare renuntiationem vel abbates deponere.

## **ST 79.A**

Capituli Generalis præterea hæc sunt:

- a.** de mutationibus in Constitutionibus inducendis, cum maioritate duarum ex tribus partibus, decernere antequam Sanctæ Sedi submittantur, ad quam spectat etiam interpretatio authentica Constitutionum;
- a bis.** salvo ST 79.A.a, omnes suffragationes a Capitulo Generali cum maiestate absoluta sumantur. Tamen 50 capitulares petere possunt ut conventio voto praevio statuat obiectum requirere suffragationem duarum ex tribus partibus suffragiorum.
- b.** de singularum communitatum statu edoceri et circa eas curam suam pastoralem exercere;
- c.** singulas conferentias regionales approbare et de modo eas repræsentandi in organis Ordinis decernere;
- d.** commissiones intercapitulares statuere, quarum membra nominat et activitatibus invigilat;
- e.** mutationes filiationis et monasteriorum translationes approbare;
- f.** rerum agendarum in Capitulo Generali rationem determinare eiusque promotorem vel promotricem eligere;
- g.** Statutum de libris edendis promulgare;
- h.** communitatibus facultates concedere, de quibus in C. 44;
- i.** Postulatori/Postulatrici Generali causas beatificationis et canonizationis committere.

## **ST 79.B**

Iudicio Patris Immediati, regionis abbatissis consultis, cum aliqua communitas aspirantium institutionem præstare non amplius valeat, Capitulum Generale ius easdem recipiendi suspendere potest usque ad proximum Capitulum Generale, quod iterum examini rem subiciat.

## C. 80 De Commissione Centrali

Unumquodque Capitulum Generale commissionem eligit cum munere proximum Capitulum præparandi, quæ Commissio Centralis vocatur. Abbe Generali præside, ipsa iuxta normas a Capitulo Generali statutas operatur.

### ST 80.A

Commissio Centralis semel inter Capitula Generalia congregatur, vel cum Abbatii Generali aut maiori membrorum parti necesse visum fuerit.

### ST 80.B

Huius Commissionis membra sunt cum iure suffragii:

- a. Abbas Generalis;
- b. Promotrix vel Promotor Capituli Generalis;
- c. Vice-promotrix vel vice-promotor Capituli Generalis, et, alia tria membra Commissionis Coordinationis;
- d. Aliqui superiores, monachi vel moniales, unusquisque vel unaquaeque suam conferentiam regionalem repraesentans, ab eaque electi, qui ter tantum hoc officio fungi possunt;
- d bis. Alter repraesentans trium conferentiarum regionalim (ORIENS – RAFMA REMILA);
- e. Abbatis Generalis consiliarii et consiliaiae (cf. ST 84.1.B);
- f. Aliæ personæ a Capitulo Generali pro casu electæ.

### ST 80.C

Partem habent insuper huic Commissioni sine iure suffragii aliæ personæ ab Abbe Generali invitatae.

### ST 80.D

Absente Abbe Generali, conventui Commissionis Centralis præest promotrix vel promotor Capituli Generalis.

### ST 80.E

Commissio Centralis Capitulum Generale præparat, omnia conferentiarum regionalium incepta coordinando.

### ST 80.F

Commissio Centralis de præcedentis Capituli Generalis decisionibus provisoriam interpretationem dare potest.

### ST 80.G

Commissio Centralis, in casibus specialibus, Capituli Generalis extraordinarii convocationem Abbatii Generali proponere potest.

### ST 80.H

Commissio Centralis collegialiter et cum parte absolute maiore suffragiorum decisiones fert:

- a. de iis quæ ad sequentis Capituli Generalis præparationem pertinent;
- b. de præcedentis Capituli Generalis decisionum provisoria interpretatione;
- c. ad extraordinarii Capituli Generalis convocationem Abbatii Generali proponendam.

**ST 80.J**

Conventuum tempore, Commissio Centralis tamquam consilium plenarium agit Abbatis Generalis, qui illud consultit in adjunctis de quibus in ST 84.1.C.

**C. 81 De conferentiis regionalibus**

Ordinis communitates in Regionibus a Capitulo Generali approbatis aggregantur. Quæ conferentiæ regionales communionem et cooperationem fraternalm in singulis areis geographicis vel in Ordine universo fovent. Regionales conferentiæ ex monachis monialibusque simul componi possunt.

**ST 81.A**

Hæ superiorum et delegatorum conventiones optime Commissionis Centralis et Capituli Generalis præparationi inserviunt. Occasionem insuper præbent quæstiones ad præsens spectantes vel communes pertractandi, etiamsi non totum Ordinem respiciant.

**ST 81.B**

Omnis conferentia regionalis in Commissione Centrali per aliquem superiorem vel aliquam superiorissam ab ea electos repraesentatur, (cf. ST 80.B d et d. bis), nisi, momento eius approbationis, aliter statutum fuerit et ad Capitulum Generalem delegatum vel delegatam non superiorem mittere potest.

**ST 81.C**

Hæ conferentiæ regionales in relatione cum aliis conferentiis inter varias nationes populosque dialogum instituunt quo commune patrimonium Ordinis altius æstimetur.

## CAPUT III: De Abbatis Generalis munere

### C. 82 De Abbatе Generali

1

Abbas Generalis, qua unitatis Ordinis vinculum, relationes inter communites tam monachorum quam monialium promoveat et Ordinis patrimonii vigilans custos sit auctiferque cultor. Ante omnia pastorem et renovationis spiritus in communitatibus instauratorem se exhibeat. Monasteria adeo frequenter visitet, quo melius expedire iudicaverit ad totius Ordinis statum cognoscendum: itaque singulis superioribus atque communitatibus pretiosum subsidium præstare poterit.

2

Abbas Generalis Capitulum Generale convocat eique praesidet. Consilio suo adiutus, Capituli Generalis in rebus sibi ab eodem Capitulo vel a lege sibi commissis et in illis quae ulterius differri nequeunt, personam gerit.

#### ST 82.2.A

Abbas Generalis cum consiliariis Romæ residet, et disciplinæ monasticæ sodalium qui in Domo Generalitia degunt invigilat. Pro huiusmodi communitate statutum aut ordinationem internam, peculiaribus adjunctis accommodatam, condit superioremeque nominat, sibi regiminis rationem redditurum.

#### ST 82.2.B

Cum Domus Generalitia universo Ordini operam navet, unaquæque domus obstringi se existimet ei sodales suppeditare. Superiores ideo atque communites Abbatи Generali libenter præsto erunt, quoties de hac re rogentur.

#### ST 82.2.C

Curam administrationis ordinariæ bonorum temporalium Ordinis habet, de qua Capitulo Generali respondere debet, et apud Sanctam Sedem Ordinis personam gerit.

#### ST 82.2.D

Abbas Generalis omnium monasteriorum Ordinis visitationem regularem facere potest, sive per se sive per delegatum, etiamsi visitatio regularis a Patre Immediato vel ab eius delegato recenter iam facta fuerit.

3

Abbatum abbatissarumque electiones confirmat necnon, Capitulo Generali non sedente, renuntiationem acceptat, vice gerens Capituli Generalis.

4

Potestatem quoque habet dispensandi in omnibus quæ ad ius proprium Ordinis pertinent. Legifera autem potestate non gaudet.

**5**

De bonis vel de personis communitatum statuere non potest, sed tantum quædam ad tempus decernere, ubi necessitas id postulet.

**6**

Abbas Generalis iure intellegitur supremus Moderator instituti clericalis iuris pontificii, ad normam Constitutionum.

### **C. 83 De Abbatis Generalis electione**

**1**

Abbas Generalis a Capitulo Generali eligitur. Electus reputatus est ille qui maioritatem absolutam obtinuerit. Electio fit ad tempus non definitum. Confirmatione non indiget. Electus autem stricto sensu abbas in Ordine esse aut fuisse debet.

#### **ST 83.1.A**

Abbas Generalis annos natus sit saltem quadraginta.

#### **ST 83.1.B**

Abbas Generalis stabilitatem in monasterio suo servat et omnia inibi exercere potest iura, quæ cum munere suo componi possunt. Cum abbas quidam, munere durante, in Abbatem Generalem eligitur, sedes ipsius a momento acceptationis novi officii vacat.

**2**

Renuntiatio ab officio, ut valida sit, a Capitulo Generali acceptari debet.

#### **ST 83.2.A**

Abbas Generalis Capitulo Generali quod suo septuagesimo quinto natali anniversario proprius est renuntiationem ab officio suo exhibeat.

### **C. 84 De Abbatis Generalis consilio**

**1**

Abbas Generalis in suo pastorali munere explendo a consilio permanente adiuvatur, quod in negotiis a iure definitis pro monachis monialibusque competens est.

#### **ST 84.1.A**

Consilium quinque membris constat. Quatuor membra, a regionalibus Conferentiis proposita, scilicet duo monachi et duæ moniales a Capitulo Generali eliguntur. Mandatum recipiunt sex annorum, ita tamen ut omni Capitulo Generali dimidia eorum pars renovetur. Quintum autem membrum, sive monachus sive monialis, ab Abate Generali et aliis iam electis consiliariis, omni Capitulo Generali, pro tribus annis designatur. Sic elegantur qui experti sint, et, inter alia, apti ad diversas culturas apprehendendas. Annos nati saltem quadraginta sint, necnon decem sollemniter in Ordine professi.

#### **ST 84.1.A bis**

Durante mandato, consiliaria voce passiva in omni electione abbatiali non gaudet, praeterquam in propria communitate. Superiorissa ad nutum aliæ domus ac suæ nominari non potest.

#### **ST 84.1.B**

Hi consiliarii membra sunt etiam Commissionis Centralis, quæ, conventuum tempore, tamquam consilium plenarium agit Abbatis Generalis.

- a.** Ut fundationem approbet Abbas Generalis consensu Commissionis Centralis indiget, quae tamquam consilium plenarium agit Abbatis Generalis (cf. Statutum de fundationibus, n° 9).

#### **ST 84.1.C**

Ad iuridicam actuum suorum validitatem, Abbas Generalis consensu consilii sui indiget:

- a.** ut fundationes approbet et novitiatus in fundationibus erigi permittat;
- b.** ut renuntiationem ab officio acceptet abbatissæ;
- b. bis** ut abbatissam impeditam ab eius onere suspendeat aut removeat ad normam ST 40.B bis;
- c.** ut processum inchœt canonicæ depositionis alicuius abbatissæ;
- d.** ut renuntiationem alicuius membra proprii consilii acceptet et successorem eligat;
- e.** ut licentiam monasterio concedat pro actu extraordinariæ administrationis;
- f.** ut in casibus extraordinariis communitatem ab una vel duabus Horis minoribus Operis Dei dispensem;
- g.** ut sorori professæ a votis sollemnibus ad aliud institutum transire concedat, itemque professæ a votis perpetuis alias instituti ad nostrum;
- h.** **ut Ordinis moniali indultum excastrationis non ultra quadragennium ad normas C. 62.1 concedat.**
- i.** ut, petente abbatissa, roget Sanctam Sedem, quæ aliquam sororem ad excastrationem obliget;
- j.** ut sodali professæ a votis temporariis, gravi de causa, dispensationem ab ipsis votis concedat;
- k.** ut, gravi de causa, erectionem prioratus ad gradum superiore permittat (cf. Statutum de Fondationibus n° 18);
- l.** ut, si res urgeat, fundationis alicuius suppressio concedatur (cf. Statutum de Fondationibus n° 20).

#### **ST 84.1.D**

Consilium suum Abbas Generalis audire debet:

- a.** ut Postulatorem Generalem nominet, qui causas beatificationis et canonizationis ab Ordine ei commissas promoveat;
- b.** ut Postulatorem Generalem nominet, qui causas beatificationis et canonizationis ab Ordine ei commissas promoveat;
- c.** **ut excastrationis petitionem monialis, pro tempore quod tempus in C.62.1 statutum superat, ad Sanctam Sedem transmittat;**

**ST 84.1.E**

Abbas Generalis cum suo consilio collegialiter procedit ad argumenta, sive probationis sive defensionis, perpendenda in casu dimissionis monialis. Decisio per secretam suffragationem ferri debet.

**ST 84.1.F**

Visitationum regularium relationes Abbas Generalis cum membris consilii communicet.

**ST 84.1.G**

Abbas Generalis cum suo consilio cuiusque monasterii partem determinet in solvendis Domus Generalitiæ expensis, ratione habita illius monasterii rei œconomicæ. Capitulo Generali summarium de rebus sumptuariis a Curia Generali gestis tradendum est.

**ST 84.1.H**

Unus e consiliariis ab unoquoque Capitulo Generali ordinario eligatur qui, sub auctoritate Abbatis Generalis, munere Procuratoris Generalis apud Sanctam Sedem usque ad proximum Capitulum Generale fungatur. Abbatem Generalem de negotiis a se tractatis certiores reddat. Nullam pro quovis Ordinis sodali facultatem vel privilegium a Sancta Sede petat, nisi Abbe Generali aut saltem rogantis superiorissa approbante.

**ST 84.1.I**

Abbate Generali impedito, negotiis vertentibus Procurator Generalis interim provideat.

**ST 84.1.J**

Abbas Generalis ad casum particularem, nominare potest specialem consiliarium, qui Romae non residet, inter omnes abbates vel abbatissas Regionis cui casus interest selectum. Iudicio Abbatis Generalis, ad aliquem eius consilii conventum, etiam cum iure suffragii, specialis consiliarius aut consiliaria invitari potest.

**C. 85 De Abbe Cisterci**

Abbas Cisterci, decessu occidente Abbatis Generalis, Ordinem moderetur. Intra tres menses Commissionem Centralem convocet, quæ de tempore et de argumentis Capituli Generalis statuant a quibus novus Abbas Generalis eligetur.

**ST 85.A**

Absente Abbe Generali, Abbas Cisterci Capitulo Generali præest.

**ST 85.B**

Si Abbas Generalis, quavis infirmitate aliave de causa, impediatur quominus munere suo sufficienter fungatur, Abbatis Cisterci est, peritis consultis, statum eius investigare et verificare. Si res constat, confessim de eadem Procuratorem Generalem certiores reddit, ipsoque approbante, intra mensem membra Commissionis Centralis de iis quæ agenda sint consultat.

**ST 85.C**

Vacante sede Cisterci, vices abbatis eiusdem tunc aget abbas antiquioris domus filiæ.

**C. 86 Cum gaudio Sancti Spiritus**

Hæc sunt Constitutiones et Statuta pro monialibus Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiæ. Velit Deus sorores Paraclito agere afflante ut, caritate fraterna atque erga Ecclesiam fidelitate animatæ, ipsa observando, ad plenitudinem amoris, Beata Maria Virgine, Cisterci Regina, opitulante, alacriter contendant.

